



6



5.66,5.

W/
588

ORATIO.

QVA

Illustrissimo Principi ac Domino,

DN. FRIDERI

CO VVILHELMO, DV

CI SAXONIAE, LANDGRA

E
Filio Thuringiae, Marggrauio Misniæ,

&c. beatissimè, at relicto apud omnes sui desiderio

ingenti, Vinariæ Nonis Quintilibus cir-

-ca horam XI. vespertinam de-

mortuo,

IN ILLVSTRI GYMNASIO

Schleusingensi, iustissimi luctus testandi,

piæ erga Patrem Patriæ gratitudinis declarandæ

causa, parentatum fuit,

à

M. VVolfango Sebero, Rectorc.



EXCVSA SMALCALDIAE, &c.

31.

535

Illusterrimis Principibus

ac Dominis,

DN. IOHANNI PHILIPPO,

DN. FRIDERICO,


DN. IOHANNI VVILHELMO,

Fratribus germanis : Ducibus Saxoniae,

Landgrauijjs Thuringiae, Marg-
grauijjs Misniæ, &c. Ducis piè
defuncti, &c. relictis filijs hæ-
redibus, Dominis suis clemen-
tissimis,

*In luctu ut iustissimi, sic grauissimi testi-
monium, benedictionis atque gratia
diuinæ humilimam appreciationem,
& sui deniq; atq; vniuersi Gymnasii
subiectissimam commendationem,*

Dedicat Autor.



ORATIO.

QVOD HOC TEMPORE OMNIBVS HA-
rum regionum incolis usuvenit, Magnifici, Reueren-
di, Clarissimi, Amplissimi, & doctissimi viri, Domi-
ni, Patroni, fautores, Compares, Collegæ, atq; amici
reuerenter colendi, vosq; adolescentes carissimi: quod omnibus ha-
rum regionum incolis usuvenit, ut ex præmaturo, sed beatissimo
Illustrissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI WIL-
HELMI, &c. obitu, ingenti se affectos luctu sentiant: illud de
nostro etiam Gymnasio verissimè affirmare possum. Non enim
communes tantum habet cum alijs luctus sui rationes: sed multæ
suppetunt caussæ, quæ versantibus in eo singularem quandam do-
lendi necessitatem imponunt. Quando autem sub corde occultatus
dolor, & magis illud conficit ac macerat, & minus à quo quis con-
spicitur: consultissimum quidem esse videtur, aperta illum tandem
oratione declarari: partim ut nonnihil inde ad auditores recedat
solati: partim ut ingrati animi, & stoicae & ωαθείς vitium decli-
nemus. Verum isti rei qui sufficiat, eum arbitror tūm verborum
grauitate, rerumq; variarum scientia, tūm præcipua quadam au-
toritate instructum esse oportere. Aquibus omnibus cum me de-
prehendam esse longè imparatiuum: optārim equidem prouin-
ciam hanc in præsentiarum verba faciendi cuius alij potius com-
missam fuisse, quam mihi: qui ut dolore nemini concedo, sic in di-
cendo quemuis mihi præferri facile patior. Sed cum nihilominus
id muneric superior mihi Magistratus demandatum esse cupiat:
nolo illius vel benevolentiam erga me ignorare, vel autoritatem
aspernari, vel voluntatem negligere. Tenebo autem istam, quan-
tum res feret, orationis formam, quæ tūm personarum considerati-
oni, tūm captui discentium (quos de perpendenda præsenti rerum
omnium perturbatione nunquam satis monuerimus) in primis vi-
detur esse accommoda. Vnde planum, opinor, fiet, quam nunc ju-

A 2 stas

stas dolendi atq; ingemiscendi, quām verò graues DEI omnipo-
tentis gratiam & misericordiam implorandi caussas habeamus.
Atq; utinam feliciter utrung; assequar, vt & gregem discipulorum
in suā atq; omnium nostrū calamitatis duxisse agnitionem: &
sine vestro, viri optimi, tædio munus executus meum esse videar.
Quod vt à vobis me impetrare patiamini, vehementer rogo. E-
rit, scio, ubi verbis utar nimis ieunis: erit in rebus, ubi scientia
mea vacillabit: erit etiam ubi necessaria omittam, omittenda po-
nam. Sed quæso vestram æquanimitatem, excusat verborum ieiu-
nitatem infantia mea: patrocinetur etas ignorantiae rerum: im-
prudentiam doloris acerbitas vitio liberet, quo, lapis ego sim, si tali
patriæ nostræ statu liber sim: diuinioris naturæ, si sic sustineam, vt
interim animum expedire, omniaq; certo & accurato iudicio me-
ditata, & disposita decenti sermonis genere proferre queam. At-
qui missis pluribus ad rem ipsam accingar, deg; Principe nostro opti-
mo, cuius celsitudinem votis reuocare fati lex prohibet, ipse, qua-
nunc est conditione, haud sinit, ea commemorabo, quæ memoriam
illius utcunq; nobis commendent, utinam verò non dolorum simul
vulnera, tantum non recenti adhuc sanguine stillantia refricent.

Anno Christ. Ortum illi dedit, quod nemo ignorat, familia Saxonica, vetustate
1562. die præstantissima, rerū gestarum, honorumq; ac dignitatum magnitu-
25. Apr. dine nobilissima, pietatis deniq; studio, cultuq; & conseruatione sin-
cerioris religionis maximè conspicua. Non habeo quidem quod
culpem illos, qui exiguam esse putant, quæ à maiorum splendore pe-
titur; gloriam: eamq; demum veram laudem censem, quam sua
quisq; virtute sibi peperit. Qui genus iactat suum, aliena iactat,
Sen. Her. fur. inquit Seneca: & Petrarcha: veram laudem nisi de proprio sum-
v. 339. seris, ab alio non expectes. Atq; hinc si vel veterum historias excu-
Petr. de rem. tiamus, vel recentiorum acta perlustremus, vel ipsam consulamus
vtr. fort. lib. experientiam, plurimum videmus illos, qui humili fuerunt, & ob-
3. dial. 16. scuro loco progeniti, & quari, aut etiam præferri his, quos genus qui-
dem nobilitat, nimia autem generis fiducia ut virtutis expertes, sic
inglo-

inglorios relinquit. Exempla suppetunt innumera, quò minùs dubia videantur, quæ dicta sunt. Verùm debent ea tamen certos intra limites contineri, nec longius extendi, quàm recta permittit ratio. Omnidò ineptè faciunt, qui gloriam non tam factis suis querunt, quàm è sola maiorum eminentia in se deriuare cupiunt: nascendoq; magis, quàm viuendo splendorem sè consequi posse arbitrantur. Atqui contendo ego, cum ad decus familiæ, maiorumq;, ac parentum laudem propria quoq; accesserit virtus, & gloria propria, tūm illud, nescio quid præclarum, admirandum, diuinum solere existere. Iucunda sunt oculis aurea poma, quamvis in Samo catino posita: Smaragdus, & aliæ gemmae mirè illos afficiunt, ubi cung, sunt: Verùm cum aurea poma phiala contineri aurea, Smaragdum & gemmas similes aureis inclusas annulis vides, tūm de- Sirac. 32. v.
7. & 8.
mum incredibiliter videris tibi delectari. Eadem virtutis est ratio, quæ laudem in quouis homine meretur: excellentem verò, & singularem in illis, quibus aliquod decus natalium dignitas conciliat. Sic ergò nostro quoq; Principi maiores illustrissimos singulari ornamento esse statuimus, non quia nihil aliud, à quo commendetur, in promptu est, sed quia ipsius celsitudo sè illis adeò dignam per omnem vitam suam gessit, ut eorum nullo inferior dici queat. Prolixum esset, uniuersos Saxonice stirpis heroas, præclarissimaq; illorum facta, & res gestas non dico explicare, quod immensi foret operis: sed vel generali saltem indice notare. Hoc tamē constanter asserere in procliui est, si vnq; gens aliqua extitit, quæ Duces habuit faciles ac clementes erga subditos, in hostes atroces & animosos: fortes & strenuos in bello: pacis tempore tranquillos & placidos: Saxonas illam gloriam in primis sibi posse ascribere. Ecquis enim in dubium vocare ausit, fortitudinis laude atq; strenuitatis illos excelluisse, qui communi mortalium consensu cognomina inde acceperunt, ut STRENNI, ut BELLICOSI dicti sint? ecquis pacis amatores extitisse ambigat? ecquis beneficos, clementes, humanos? quos non tantum boni ac felicis omnis caussa FRIDE-
RICOS.

A3

RICOS.

RICOS, WILHELMOS, IOHANNES parentes vocauerunt, sed qui suis etiam liberis eadem nomina imponentes, hoc ipso, nulla re magis se, quam pace, clementia, beneficentia, & similibus gaudere, suisq; posteris ea quam commendatissima esse cupere, testatum fecerunt? Non longè abierimus, & euidentissima horum omnium exempla occurunt. FRIDERICVS ille, FRIDERICI GRAVIS filius, cognomine STRENVVS, quantum quæso bello valuit? quam verò similem sibi filium progenerauit FRIDERICVM BELLICOSVM, matre CATHARINA, HENRICI XII. Principis Hennenbergensis filia, cuius memoria nos omnes, qui hanc Hennenbergicam ditionem vel ut patriam, vel ut hospitam amplectimur, immortaliter delectari aequum est, præsertim quia pietatis, modestiæ, simplicitatis, aliarumque virtutum fæminearum exemplar fuit absolutissimum: nec tantum primum Saxoniæ dedit Electorem, illum quem dixi FRIDERICVM BELLICOSVM, qui & Lipsensem erexit A-

Anno 1409. cademiam, sed quotquot etiam exinde Saxonia Duces habuit, illi mens. Noue. omnes ad ipsam suum ortum referunt. Proxime autem successit FRIDERICVS II. qui cognomen inuenit PLACIDI, tale certè, quod si re comprobetur, eo nihil in Principe amabilius fingi, nihil à subditis sperari gratius potest. Verum an non satis superq; ille comprobârit, qui in bello etiam, quod à fratre lacepsitus suscep- rat, adeò se placidum præbuit, ut cuius cæde omnis belli turba sedari, ipseq; multis insuper opibus augeri potuisset, eius ille vitam lædi, cum suæ ipsius periculo, serio prohibuerit? Quid dicam de huius filiis ERNESTO & ALBERTO? quibus pueris adhuc plagi surreptis, patrig; singulari DEI prouidentia restitutis, facile, quid futurum esset, apparuit. Sanè horum filios tandem Deo ex omnibus vniuersi mundi regibus, ducibus & principibus eligere placuit, quos Ecclesiæ suæ à pontificijs sordibus per electum suum organum Reuerendum patrem LUTHERVM repurgatae primos nutritios faceret. Etsi enim WEDEKINDVS ille Magnus,

Saxo-



Saxoniae Rex multis antè annis suā, & impulsu CAROLI
MAGNI, Ethnica superstitione valere iussa, tum ipse in CHRISTI
regnum nomen suum dederat, tum posteris, ut idem facerent, autor
atq; hortator extiterat: tamen ad hoc usq; tempus Pontificiae serui-
tutis iugum non excuti omnino potuerat. Sed hi, quos dixi, Duces
diuino suffulti robore, cum LUTHERVS tandem, cœlesti ani-
matus Spiritu, aleam iaceret, propositum, consiliumq; DEI magno
& stupendo ardore tutatis sunt, & prouexerunt. Et ut paulo con-
tractioribus velis utar, inq; pie nunc defuncti Principis linea sola
persistam, quid ERNESTI filij FRIDERICVS & IO-
HANNES? quantum pro refugescente doctrina Euangeli puer-
iore laborauerunt? FRIDERICO quidem SAPIENTE
(cui se Witebergensis debet Academia) instauratorem illius LV-
THERVM & socios liberalissime excipiente ac fouente: IO-
HANNE vero constantissime (unde nomen quoq; CONSTAN-
TIS illi datum fuit) propugnante. A quo genitus IOHANNES
FRIDERICVS tanti eam fecit, ut ingenuam illius con-
fessionem presentissimo vitæ ac fortunarum periculo redimere non
dubitârit. Hunc rursum magno animo, & feroce admirabili
IOHANNES WILHELMVS filius, quamdiu vixit, imi-
tatus fuit: Atq; is est, quem patrem habuit Dux inclitus FRI-
DERICVS WILHELMVS, quem altis nunc suspirijs ac
gemitibus mæstissimis desideramus: cuius gratia haec recensere li-
buit, ut intelligeretur, quanto ipsius virtus nitatur fundamento,
quod tantum abest, ut de laude ipsius atq; gloria quicquam dero-
get, ut eandem perse illustrißimam illustriorem reddat. Est ali-
quid ex humili quodam repente loco ad honoris fastigium subli-
mius ascendere: ac quibus id contingit, illis non immerito laudis
honor tribuitur. Sed inuenias inter eos non fortasse nullos, quos
non tam virtutis ardor stimulat, quam necessitas instigat, ut quo-
quo modo vias exurgendi querant. Quantum enim fortuna in-
humanioris asperitas in utramq; partem habeat roboris, quantam

Introducta
18. Octob.
An. 1502.

ad



ad excitandos animos vim, quantam ad acuendos cordis motus po-
tentiam, quis non intelligat? Posset tale quid referri de milite Lu-
culli, nisi hoc loco videretur indignum. Verum quos omni ex parte
splendor familie circumfulget, & res praeclarè à maioribus gestæ il-
lustrant, hi sanè viros se præstant, si acceptam lucem non obscurant:
si conseruant, quauis laude dignos: si autem ita confirmant ani-
mum suum, ut fulgorem generis virtute factisq; suis clariorem red-
dant, diuini aliquid habere omnino mihi videntur. Expertus

Horat 2. E-
pist. 2.

hanc difficultatem fuit Cn. Scipio, Africani filius, de quo idcirco
sunt, qui mirantur, quas dij tenebras ex quo fulmine nasci passi fu-
erint: expertus eandem Clodius ille Pulcer, experti alijs multi. Sed
illam Dux noster beatissimus tanta per DEI omnipotentis gratiam
felicitate superauit, ut maioribus dignam relicta gloria retulisse
gratiam, verissimè dici posset. Quam enim maiores ipsius Celsitu-
dini facem accenderant, eam sic conseruauit & exornauit, ut si an-
nis proximis superioribus parens, si auus, si proauus reliquiq; ordine
omnes in vitam Duces redijssent, uno ore de talifamilie suæ Prin-
cipe fuissent gratulaturi. Quod quidem intuentes in vitam, & fa-
cta illius nullo labore intelligent, quam verè affirmetur. Statim c-
nim atq; inito cum CHRISTO Seruatore suo fædere iudicio fa-
ctus esset, ac ætate confirmator, mature admodum indolis suæ bo-
nitatem & præstantiam exeruit, ut facile appareret, nec ab auita
ipsum generositate degeneraturum, nec quicquam intermissurum
eorum, quæ pio & Christiano principi laudem decusq; afferre pos-
sunt. Magnum olim virtutis argumentum iudicabatur, si ado-
lescentes principes equos poscerent, sylvas amarent, ceruos, uros, ur-
sos audacter inuaderent, delectarentur armis, & pugnas, quasi re-
seria, committerent. Hæc qui facerent, eos summi iuxta atq; infi-
mi diligebant, laudabant, suspiciebant: eos hostibus terrori, solatio-
subditis: parentibus ornamento, perfugio amicis quondam fore o-

Virg. Aen. 5. *minabantur. Quid Æneæ reliquiarum Troianarum regi, quid*
*v. 553. & seq. *proceribus eius accidere poterat iucundius, quam videre Ascanium**

cum

cum equalibus ad exequias Anchise in Sicilia institutas varia pugnarum simulacra exhibere? Nimis quarum rerum studio parentes filios à primis annis addictos esse voluerant, in his illos excellere cum primis lætabantur. Sed quid procul accersò, quæ vel Germania nostra suppeditare abundè potest? Nam ut vita illi omnis in venationibus olim atq; in studijs rei militaris consistebat, sic adolescentes præsertim nobiliores capiendis interficiendisq; feris sese durabant, proq; solo laudis præmio exercebant: unde Aene. 9. v. 605.
princeps Romanæ poëeos Maro:

Cæsar lib. 6.
de bello Gal.
p. 137. 140.

Venatu inuigilant pueri, siluasq; fatigant,
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.

Nam ad Germanos præconium istud, non ad Latinos pertinere, iampridem acutissimus Goropius demonstrauit. Illa exercitia Princeps noster inclytus FRIDERICVS WILHELMVS In Aduaticis, non planè quidem neglexit, sed ita tamen est persecutus, ut nequam in ijs omne vitæ suæ momentum esse positum existimârit. Sanè venationis studium primas olim inter ea tenuisse, quæ hominibus illustri loco natis conuenire credebantur, uniuersa testis est antiquitas. Nam & Deos illud autores habere, & parandis tūm corporibus, tūm animis ad quævis pericula facilius propulsanda, accommodatissimum esse sentiebant. Et dicat mihi aliquis, quid facerent melius, qui angustissimis caduce huius vitæ terminis omnia definiebant: & licet animæ, postquam corpore soluta esset, immortalitatem crederent, tamen quicquam de illa certi pronunciare non audebant? Hic noster Princeps nouerat quidem sibi quoq; subditorum defensionem in externis periculis, ubi cung; res tempusq; postularet, incumbere: sed eam curam ponebat in minimis, quantog; lux tenebris, cælum terra, & eternum caduco est præstantius, tanto maiore vigilantia etiamnum adolescens sibi, postquam ad gubernacula rerum accessisset, opus fore intelligebat, ut ne quibus prudentia sua pacem externam conferret, eorum animas bellis internis affligi, doctrinæq; cœlestis corruptione à vera, quæ in

Plat. 7. de LL
sub fin.
Xeno. de ves-
nat. princip.
Iul. Poll. lib.
5. præf. alij.

B alte-

altera vita pios manet, tranquillitate prohiberi pateretur. Non

T. Tim. 4. 8. ignarus dicti Apostolici: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. His cogitationibus vix dum adolescentis occupatus, ita vitam suam instituebat, ut ad præscriptum

Matth. 6. 33. Christi perpetuò summo illi & præpotenti rerum omnium Conditori, verboq; illius per Reuerendum patrem L V T H E R V M & fideles eius successores à Pontificijs & Caluinianis erroribus vindicato primam curam tribueret. Ab ea quicquid ipsi reliquum esset temporis, id omne in illis ponebat studijs, quæ vim legum explanant, lumen mentis acciunt, usumq; rerum variarum afferunt.

Claudian. de 4. cōsul. Ho- norij v. 299. sapiens consilium, o discendi rationem egregiam. Utinam per omnia verum esset, quod vulgo perhibent, exempla regum atque principum vim pondusq; legum habere, subditosq; ut plurimum ad morem atq; consuetudinem sui magistratus se componere. Quotusquisq; nunc est in discentium numero, qui similem in studijs suis obseruet ordinem, quiq; firmiter sibi persuaderi patiatur, non mi-

Iobi 28. 28. nus verè, quam frequenter dici: Timorem Domini esse initium

Psal. 111. 10. sapientiae: Pietatem esse virtutum ceterarum fundamentum, & alibi.

Cic. pro Plan. 265. quæ alia in hunc sensum vel infantes recitare possunt? Vnde quid quam- mirum, si ingenia fiunt hebetiora, profectus tardiores, infelices e- uentus? En Principem, adolescentes, en Magistratum, en Ducem

vestrum: si sapientem, si eruditum, si liberalem, si mansuetum, si felicem in gubernando, si omnibus virtutibus cumulatissime ornatum euasisse cognoscitis, si tot tantasq; dotes miramini: ne in nuda ista cognitione acquiescite, sed ad fontem potius illarum virtutum recurrentes, unde profluxerint serio vobiscum, & sedulo co- gitate: ubi si TIMOR se DEI vobis ostendet, sectamini, colite, amplectimini illum, is est, per quem ad finem vestra studia opatum potestis perducere, quomodo per eundem Princeps quoq; no- ster ad omnia summa peruenit. Et significasse illum in adolescen- tia tanquam in herbis, quæ in ætate adultiore futura esset virtu- tum

Non
ut
es vi-
dole-
ptum
ondi-
M &
indi-
m es-
n ex-
runt.
per o-
atque
num
Quo-
is suis
r mi-
tium
n, &
quid
ces e-
ucem
m, si
nè or-
n nu-
virtu-
lo co-
coli-
dia o-
q; no-
escen-
virtu-
tum

eum omnium maturitas, videtur etiam testatum relinquere vo-
luisse celeberrima Academia Ienensis, quæ ut à Celsitudinis ipsi-
us Auo IOHANNE FRIDERICO memoria laudatissime Anno 1550.
aperta fuerat, ita cum primis ei digna visa est, in qua teneram
etatem discendo doctrinam Christianam, & bonis literis incum-
bendo consumeret. Non enim tantum cum singulari applausu ibi
& maxima omnium ordinum gratulatione exceptus fuit, sed Do-
ctores etiam & Professores quem habuerunt summum honorem ei
detulerunt, RECTORE Mq; illum sibi humilimo studio ascen-
serunt. Iactis dehinc feliciter fundamentis & comparatis illis,
quæ principem gubernatorem perficere possunt, clauum tandem Re-
giminis, Deo clementer annuente, eum & etas maturior inuitaret,
& multæ flagitârunt caussæ, accepit. Hic iam de gemino matri-
monio dicendi locus erat, priore cum SOPHIA, CHRISTO- Anno 1583.
PHORI laudatissimi Ducis Wirtenbergici filia, tūm temporis 5. Maij.
in aula Hennenbergensi versante, contracto: posteriore (postquam
SOPHIA integro anno, & ampliore spacio ante pie expirasset) Anno 1590.
cum ANNA MARIA, PHILIPPI LUDOVICI Prin- die 21. Iul.
cipis Palatini ad Rhenum filia: sed tantum ibi videor mihi videre
campum, tam materiem fæcundam, ut parem me illi futurum,
præsertim hoc breui temporis spacio, diffidam. Proinde simplici
tantum ista significatione contentus ad històriam gubernationis
progredior. Verum hic quoq; qualem ipsius Celsitudo se gesserit,
quid egerit, quantum CHRISTI Ecclesiam, quantum statum
ciuilem, quantum è subditis unumquemq; adiuuerit, promouerit,
ornârit: disertè me nego (qui enim hac etate hoc calamitoso statu
affirmem?) omnia memoria tenere, nedum dicendo explicare pos-
se: præsertim quod illud tempus attinet, quo non tantum consueta
ipsi & à parente relictæ negotiorum moles incubuit, sed præterea
Septemviratus etiam Saxonici administratio commissa fuit. Si
quid vota possent, optârim ego adesse unum è nobilissimis illis vete-
rum oratorum coryphæis, aut Periclem, aut Demosthenem, aut Ci-
cero.

ceronem, qui pro me, quod reliquum est, absoluere. Habiturus es-
set, quicunq; esset, locupletem ingenij sui vim, sermonisq; copiam
ostentandi materiam. Neg; puto, quenquam fore, qui hæc me di-
cat plus iusto exaggerare, si cogitet, quid publica sit tranquillitas,
quid puritas religionis, & doctrinæ Christianæ sinceritas, quibus
quod frui hactenus nobis contigit, secundum D E V M paterna hu-
ius Principis vigilantiæ unice acceptum referre nos oportet. Lice-
at mihi uno verbo dicere, quod res est: egregie facto ipso præstitit,
quod nomine præse tulit: talem se omni tempore probans, qui &
pace publica nihil haberet antiquius, & de propugnandis subditis

Plaut. **Capt.** maximè solicitus esset. Non facile quidem animaduertimus ho-
I. 2. mines bona, quæ habemus, nec rectè intelligimus, nisi cum amissa

Cic. **Phil. I 2.** desideramus. Sed ô morem peruersum & execrandum. Qui belli
p. 241. & 13. sunt experti damna, pacis vel solum nomen dulcissimum & pulcer-
princip.

I. Reg. 4. 25. conquiescat: è contrario fruentibus pace, verè illud euenit, quod Is-
raëlitis regnante Salomone, ut unusquisq; sub vite sua & sub fici
sua possit habitare. Talis felicitas nobis etiam sub nostro S A L O-
MONE siue F R I D E R I C O W I L H E L M O concessa fuit,
ubi quisq; officium suum sine impedimento facere, & vel publico
inseruire commodo, vel urgere priuatum potuit. Nam faxit mi-
sericors Deus, ut citius agnoscamus, quam dolere, quod in tempore
non agnouerimus, cogamur. Nam cogitare casu id ita cecidisse,
nec singulari Ducis nostri diuinitus ad id excitati circumspetione
ac cura, impium, iniquum, iniuriosum esset. Prætereo hic multa
sciens, multa etiam talia, quorum lucem in hac umbratili vita o-
culi mei non sustinent, intellectus refudit. Qui enim hoc mihi su-
mam, ut explicare speciatim ausim, quam fuerit erga pauperes libe-
ralis, quam erga literarum cultores munificus, quam suis carus,
quam acceptus vicinis, quam deniq; ad prouidendas & declinan-
das

das seditionum & bellorum occasiones ingeniosus, ad opprimen-
dum, si quid tale oriri cæperat, industrius? Omnia hæc prætereo.
ne illis, qui melius nōrunt, inepte ac frigidè nimis: qui planè ne-
sciunt, obscurè ac sine sensu loqui videar. Quemadmodum autem
patriam nobis ab externis hostium incursionibus, facultates à di-
reptionibus, corpora ab iniurijs fidelissime semper defendit, vitam
qué mortalem, quibus potuit studijs, adiuit: sic nec alteram illam
de sempiterna animarum tranquilitate ac salute curam, in quam
æquè, aut magis etiam inde vsg, ab adolescentia incubuerat, un-
quam depositit. Non sum equidem nescius, aliud esse statum Ec-
clesiasticum, aliud politicum: minimeq; conuenire, ut unus ali-
quis vtrung; occupet. Quid enim cauſa fuit, quod Vsias Rex Iu- ^{2. Reg. 15.}
dæorum alias optimus & prudentissimus, lepra tandem infectus,
vrente ista, & deformi labe per omnem reliquam vitam liberari
non potuit? Nihil aliud, nisi quod non contentus sua vocatione
in alienam messem falcam immittere, ac perruptis politici officijs re-
pagulis, quod Sacerdotum erat, sibi ausus fuerat arrogare. Nihil
tale de nostro Principe intelligi volo, cum animas subditorum ipsi
curæ fuisse contendō. Vtrung; DEVS exigit, ut & distincta sint
officia Ecclesiastica & politica, & magistratus politici Ecclesiæ sint
nutritiij, custodes, defensores. Non igitur est, quod illi munere suo ^{Ez. 49. 23.}
se perfunctos arbitrentur: si corporum & fortunarum in regnis su-
is curam suscipiant, suosq; fines vel longius extendere studeant, vel
non patiantur angustiores reddi. Qua quidem laude sola plurimi
è veteribus, ut Philippus Macedo, Alexander, Iulius Cæsar, Au-
gustus alijq; innumeri etiamnum celebrantur, sed qui omnes cum
extra pomeria Ecclesiæ versati fuerint, nihil, quod ulterius cura-
rent, habuerunt. Quos autem suo præpotens rerum omnium fa-
etor, qui se ita hominibus patefecit, quod sit unus in essentia, in
personis trinus, quos ille suo populo siue iudices, siue reges aut prin-
cipes præesse iubet, eorum munus paulo amplioribus limitibus cir-
cumscriptum esse cupit. Cum enim omnis ipsi cura in amoenissimo ^{Esa. 61. 4. &c.}

Psal. 87. 2. & illo hominum cœtu sit sita, à quo scit verbum suum diligi, nomen
132. 13. 14. prædicari, & mandatis suis, quantum humanæ fert infirmitatis
ratio, morem geri : non tantum perpetuò ipsum pijs ac fidelibus
doctoribus committit, à quibus ad capessanda cœlestis regni gaudia
perficiatur : sed excitat etiam magistratus, qui præter Decalogi
custodiam eiusdemq; legum executionem, etiam doctrinam de gra-
tuita remissione peccatorum propter CHRISTVM, & salutis
æternæ consequendæ ratione, autoritate sua foueant, & ab errori-
bus ac corruptelis vindicent. Atq; hinc nihil est facilius, quam
in errorem adduci homines, & extremos conscientiæ pauores expe-
riri, supremis illorum ducibus aberrantibus, nihil magis arduum,
quam in recta illos veritatis semita perseuerare, principibus eam
non tantum deserentibus, sed atrociter etiam persequentibus. Hic

Prou. 29. 12. Cic. 3. de LL. nimis verum est, quod de superiorum exemplis dicitur, quod mul-
tum ad corrumpendum vulgus valeant : ita cunctis in rebus vitia
firmiores, quam virtutes, in hominum animis radices agunt. Ade-
st testis uniuersæ Ecclesiæ historia, ubi nunquam non populus ad
nutum regum atq; principum verum DEI cultum vel retinuisse,
vel repudiâsse, vel corruptum emendâsse legitur. Dauidis tempore
facile puritatem suam religio per totum eius regnum seruabat, ipso
rege ac supremo gubernatore illius obseruantissimo. Nec sub Salo-
mone, quamdiu paternæ integritatis speculum ob oculos habebat,
quicquam ea damni sentiebat. Verum cum Rehabeamo, cum Iero-
boamo, cum cæteris farinæ istius regibus totus populus verum De-
um deserebat, legem eius atq; verbum negligebat, idolatriæ stu-
dio omnem animum, curam, operam, cogitationes deniq; omnes
consecrabat. Vnde varij excitantur hostes, bellis turbabantur o-
mnia, & pacis non tantum, quam hæc vita sentit, amænitas desi-
nebat, sed spes etiam illius, quam alterum seculum spondet, fundi-
tus peribat. Vbi culpam quidem suam singuli etiam è minimis
luere tenentur : nec pœna liberi esse possunt, qui falsorum cultu-
rum traditione, ac commendatione simpliciorum animos seduxe-
runt:

2. Paral. 12.

1. Reg. 12.

&c.

runt : sed maximè omnium reges oportet tot animarum iacturæ rationem reddere : quippe qui subditos exemplo suo non corrumperet, sacerdotum verò impios conatus autoritate sua citra laborem infringere poterant. Has officij sui metas cum intelligerent Asa, Iosaphatus, Ezechias, Iosias & alij nonnulli Iudeorum reges : nihil magis faciendum sibi esse ducebant, quam instaurare collapsa religionis rudera : & quæcunq; ad emendationem cultuum necessaria viderentur, procurare. Quocirca singulari quodam impetu tum excelsa, id est, montana sacra, & lucos idololatricos demoliebant, horumq; antistites remouebant : tum pijs & spectatis viris è posteris Leui sedulam verbi diuini in scholis æquè atq; in templis urgendi & exercendi curam demandabant. Quo facto, statim ira D EI, quam cultus blasphemii excitârunt, remittebat: hominumq; cùm omnes sensus restituto præsentis pacis eomodo letabantur: tum autem conscientia ob recuperatam æternæ salutis spem reuiuiscebant. Ex his aliquo modo liquere arbitror, & pertinere ad regum atq; principum officium curam animarum, & nostrum Ducem nihil alieni ab officio suo fecisse, cum ad eandem quanto maximo potuit studio sese contulit. Existimo autem tantò minus rem istam prolixa commemoratione indigere : quantò magis confido, neminem fere esse, quin superiorum annorum historiam probè recordetur. Evidem quoties de illa cogito, toties mihi regum illorum, quos dixi, viuam imaginem intueri videor. Illos legimus falsis doctoribus sese opposuisse : introductos errores sustulisse : formam cultuum à D EO mandatam instaurâsse : ac personis deniq; idoneis illius conseruationem commississe. Horum quid noster Princeps non præsttit ? Irreperat in hasce regiones perniciosum istud hominum genus, quod eò processit, amentiæ dicam, an impietatis, nescio, ut ipsius C H R I S T I Seruatoris nostri personam calumniari, gloriam atq; maiestatem obscurare, corporis & sanguinis præsentia Sacrosanctam cœnam spoliare, aliaq; innumeræ errorum portenta stabilire audeat. Et sicut plerung;

fieri

- 1. Reg. 15.
- 2. Par. 14.
- 1. Reg. 22.
- 2. Par. 17. &c
- 2. Reg. 18.
- 2. Par. 19.
- 2. Reg. 22.
- 2. Par. 34.

omen
itatis
elibus
audia
calogi
legra-
salutis
rrori-
quam
expe-
luum,
s eam
. Hic
mul-
vitia
A-
lus ad
nuisse,
npore
, ipso
Salo-
bebat,
Iero-
n De-
& stu-
omnes
tur o-
s desi-
fund-
nimis
cultu-
dux-
runt:



fieri solet, ut, quibus venena propinantur, non prius, quid biberint
sentiant, quam cum per uniuersum illa corpus diffusa remoueri,
aut euitari amplius nequeunt: ita parum tunc aberat, quin frau-
dulenta ista colluuius adeò longè latèg virulenta doctrinæ suæ se-
mina dispergeret, ut difficulter postea eradicari & expelli potuif-
set. Amabo vos, auditores optimi, quantæ tunc audiebantur
querelæ, quanta suspiria, gemitus quanti? Graue est, opum ia-
cturam facere, acerbum per vim illis spoliari, miserabile in exili-
um insuper ejici: quæ mala consequi ferè bella, & hostiles impressio-
nes consueuerunt. Sed amittere sincerum DEI verbum, & spem
æternæ patriæ perdere, quanta sit miseria, quæ satis describat lin-
gua nulla, opinor, extat. Huius vite calamitates, si alias omnia
consolationum genera labascunt, mitigari possunt promissione cœ-
lestis lœtitiae. Qui autem huius etiam spe orbati sunt, DEVS bo-
ne, quod folium, quamvis vento vehementissimo, quod mare,
quamvis æstu maximo potest illis esse inquietius? Quibus enim
aduersus est DEVS (sicut omnibus verbum ipsius quacunq; cul-
pa non habentibus, est aduersissimus) illis terra, mare, cœlum &
omnia sunt aduersa, nec quicquam restat aliud, quam crudelissima
ista, sed vanissima querimonia: o montes cadite super nos, & vos
Apoc. 6. 16. colles, operite nos, abscondite nos à facie sedentis super thronum, &
ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsius, & quis po-
terit stare? Tantam miseriam cum Princeps noster laudatissi-
mus animaduerteret, à pestilentissimis hominibus imminere illis,
quorum ut corpora & facultates, sic animas quoq; ac salutem de-
fendere sui esse muneris sciebat: continuò rebus omnibus posthabi-
tis, aduocato in exilium omnipotente DEO, quod agendum vide-
batur, alacritate singulari & mira dexteritate aggrediebatur. Et
quidni alacriter, caussa tam bona? quidni dextre ac feliciter, præ-
sente Domino, in quo se uno regius Propheta Dauid virtutem fa-
cturum profitetur? Nolo hic esse prolixus, ubi res ipsa breuitatem
adhiberi suadet. Nam spacio temporis breuissimo totum negotium

Lucx 23.30. ista, sed vanissima querimonia: o montes cadite super nos, & vos
Apoc. 6. 16. colles, operite nos, abscondite nos à facie sedentis super thronum, &
ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsius, & quis po-
terit stare? Tantam miseriam cum Princeps noster laudatissi-
mus animaduerteret, à pestilentissimis hominibus imminere illis,
quorum ut corpora & facultates, sic animas quoq; ac salutem de-
fendere sui esse muneris sciebat: continuò rebus omnibus posthabi-
tis, aduocato in exilium omnipotente DEO, quod agendum vide-
batur, alacritate singulari & mira dexteritate aggrediebatur. Et
quidni alacriter, caussa tam bona? quidni dextre ac feliciter, præ-
sente Domino, in quo se uno regius Propheta Dauid virtutem fa-
cturum profitetur? Nolo hic esse prolixus, ubi res ipsa breuitatem
adhiberi suadet. Nam spacio temporis breuissimo totum negotium

Psal. 60. 14.

ex

ex animi sententia confectum fuit, hominesq; isti lucifugi vel red-
acti in ordinem, vel remoti, vel certè, si qui fraudem tegere calli-
dius nouerant, in tales coniecti sunt angustias, ut virus tandem
suum soli secum alere, ac concoquere necesse habuerint. Quæ res
quantum excitârit applausum, quantas gratulationes, quantum
apud omnes pios gaudium: loquuntur passim etiamnum in tem-
plis suggesta, cathedræ in scholis, singulis in ædibus parietes. Ex eo
namq; tempore, ut omnis grauioris periculi metus cessit, sic quic-
quid veris ac pijs Christianis animum hac in vita potest addere,
pristinum quasi vigorem recuperauit. Hactenus nihil diuerti ab
historia regum Iudaicorum: videbimus reliqua. Reges illi pra-
terquam quod cultus idolatricos exterminarent, veros etiam ac
D E O placentes in usum reuocabant, constitutis non tantum qui
ex verbo illos D E I commendarent, sed etiam, qui hos ipsos sedula
inspectione intra iustos officij limites continerent. Idem nostrum
quog; Principem fecisse, vel utilissimum illud (ut sexcenta alia ta-
ceam) Visitationis opus, quod superioribus annis instituit, tam e-
videnter demonstrare potest, ut verbis nihil loci videatur esse re-
liquum. Valeant sacrificuli Pontificij, qui de illo nescio quidnam
defectionis somniarunt: valeant quicunq; somnia ista vel credi-
derunt, vel alijs persuadere conatisunt. Nōrat ipsius Celsitudo,
quam doctrinam teneret: iampridem quorum vestigijs insisteret
statutum habebat: nec quid FRIDERICVS SAPIENS, quid
IOHANNES CONSTANS, quid horum successores egis-
sent, ignorabat. LVTHERANÆ doctrinæ (liceat enim sic vo-
care, quam CHRISTVM autorem habere minimè nos latet)
LVTHERANÆ doctrinæ se amatorem, se tutorem, se propu-
gnatorem profitebatur: amore quidem illius subditos hilares, tu-
tela animosos, propugnatione securos reddens, omnemq; animis il-
lorum, atque conscientijs tristitiam, metum, pauorem eximens.
Quid ergo verius, ut tandem ad finem properem, quàm verum
nos hactenus habuisse FRIDERICVM WILHELMVM,

Anno 1592.

C

hoc

OPUS



hoc est, pacis non tantum ciuilis, sed etiam Spiritualis fidelissimum
patronum ac defensorem? Sed heu verbum triste atq; acerbum,
quod nos habuisse dicendum est, quo nunc miseri spoliati orbatiq;
sumus. Est quidem mortis conditio communis aequè omnibus:
summis & insimis: nobilibus & obscuris: egenis & diuitibus.
Sed talis Princeps an non videbatur vobis, auditores, nisi plane im-
mota lex mortis esset. an no videbatur vobis, talis princeps immor-
talitate esse dignissimus? Ausim affirmare, si non omnino illam
consequi, tamen lucis huius usura diutius frui potuisset, nisi nos
ob peccata nostra DEO visi essemus indigni, qui longius tanto
bono frueremur. Confido igitur, orationem finem suum affec-
tam esse, apparentibus utcunq; causis, quæ hoc tempore vocare
nos in luctum debent. An non enim luctuosum, amittere ta-
lēm principem, qualem hactenus, licet vix primis lineis, descri-
psimus? (quanquam ipse minimè sit amissus, qui meliore loco
esse, quam nunc est, ne optet quidem:) an non luctuosum, au-
dire, nostra illum culpa citius hinc euocatum esse? an non de-
nig; luctuosum cogitare, quid, DEO peccatis nostris tantoperè
irascente, deinceps euenire possit? DEO benigno ac propitio no-
minato, cuncta simul bona nominantur. Iratum igitur DE-
VM nihil aliud, quam præsentissimum exitium comminari quis
dubitet? Quas quidem minas iamiam perficere conantur ex u-
na parte, quos Mahumetici furoris stimuli agitant: ex altera,
quos magna illa Babylonis meretrix vino prostitutionis sue fa-
scinat: aliunde alij. Quibus uniuersis cum recordamur, quan-
ta se diligentia Dux inclytus FRIDERICVS WILHELMVS, dum in viuis fuit, opposuerit: quamq; admirando stu-
dio crudelitatem illorum, atq; fraudem declinarit: quid restat,
quam ut illo nunc mortuo exclamemus, ô luctus ingens, ô acer-
bus dolor: ô tempus, ad quod reseruati sumus, miserandum. Quod
si dicam, quanta ipsius Celsitudini fuerint amicitiae necessitudi-
nes cum beatissimo & laudatissimo Principe GEORGIO ER-
NESTO.

Apoc. 17. 2.

NESTO, Hennenbergensium principum ultimo, & primo
Gymnasij huius fundatore: tūm quot quantaqz post huius obi-
tum, præter communem Gubernationem in vniuersam hanc di-
tionem beneficia illius extent singularia: quam deniqz, ad hoc
nostrum Gymnasium adiunardum, & conseruandum omni tem-
pore fuerit propensus, quod sua ipsius præsentia quondam digna-
ri, & ad operas scholasticas in eo spaciū integræ horæ unā cum
Illustrissimo principe GEORGIO GVSTAVO, Palatino Rhei-
ni, ac Duce Bauariae, &c. commorari non dubitauit: ac quoqz si
dicam, vereor ne mæror inde meus, & nostrum omnium tantum
ex crescatur, ut non verbis amplius, sed stupore declarandus sit. At-
qui necesse est adhiberi modum, tantumqz lamentis indulgeri, ut
ne quid nimis facere videamur. Dura nobis ostendit DEVS, Psal. 60. 5.
ut Davidis querela utar, nosqz vino perturbationis inebriauit.
Sed qua est bonitate ac misericordia, vicissim dedit metuentibus
ipsum clarissimum fauoris atqz gratiae signum, quo confirmantur,
& quasi expanso vexillo triumphant. Orbatis sumus PATRE
PATRIÆ fideli & pio, quem lacrumis prosequimur meritiſſi-
mis, & cum nostram vicem miseramur, tūm relictorum libero-
rum, & Illustrissimæ Viduæ sortem deploramus. Sed vicissim in
spem nos erigere bonam debent, duo illi Heroës, CHRISTIANUS II. Elector potentissimus, & IOHANNES, princeps
Illustrissimus, ambo Duces Saxoniae, Landgrauij Thuringiae,
Marggrauij Misniae, &c. Domini nostri Clementissimi, quo-
rum erga DEV M pietas singularis, erga verbum ipsius ardor
incredibilis, inusitata erga subditos humanitas, optima nobis quæqz
certo certius pollicentur. Modò ne nos in securitatem nos demus,
sed tūm demum felicis bonorum Principum gubernationis fru-
ctus ad nos redundare statuamus, cum illorum vestigia in colen-
do DEO, & sincero ipsius verbo amplectendo, qua decet obedi-
entia & fidelitate sequimur: & illorum gubernationem, quam
non male quidam in difficillimis rebus numerant, precibus no-

Vers. 6.

C 2

stris



stris subleuare diligenter studemus. Quod igitur reliquum
est, ad te, CHRISTE IESV, redemptor & Seruator noster u-
nique, orationem meam conuerto, tuamq; opem atq; gratiam vo-
tis imploro ardentibus: respice, quam in his terris pro ineffabili
tua misericordia collegisti Ecclesiam, illamq; deinceps etiam con-
stanter inter nos conserua, & contra hostium furores & insidias
fortiter defende: Sana contritiones eius, quia commota est, &
cum nos omnes, ad quos præsens lucius pertinet, tum autem Il-
lustrissimam Viduam, & relictos eidem liberos benignè consolare:
Principes nostros CHRISTIANVM II. Electorem, & IO-
HANNEM, cæterosq; Saxoniæ Duces Spiritu roboris ac Sapi-
entiae clementer rege ac confirma, ut eorum gubernatio tibi cum-
primis sit honorifica, & Ecclesiæ salutaris: alat tranquillitatem
publicam & studia pietatis, ac bonarum literarum etiam in hoc Gy-
mnasio feliciter promoueat, quo semper habeamus, quod
misericordiam tuam infinitam & im-
mensa beneficia gratis a-
nimis praedice-
mus.

DIXI.

τενελογίας
DVCVM SAXONIAE, QVAN-
tūm eius in oratione mentio fa-
cta est, paulò clarior de-
lineatio.

VVEDE.

WEDEKINDVS cogn. MAGNVS, SAXONIAE REX.
suscepit Christianismum, An. 785. Eum post longum intervallo
lum, aliundè supplendum, sequitur

Fridericus Grauis, à quo genitus

Fridericus Strenuus, cui ex Catharina Henrici
XII. Principis Hennenberg.
filia nati

Fridericus Bellicotus, primus Elector
Saxonie 1423. mor. 1428.

Fridericus Placidus Sigismundus Es- Henri- VVilhelmus, quo cum
II. Elector. pilc. Herbipol. cus bellum gessit Frid. fra-
ter, An. 1445. &c.

Ernestus Elector cum fratre
Alberto in pueritia à Conra- Albertus.
do Kaufungo raptus, sed suc- Georgius. Henricus. Frider. Iohan. Ludouic.
cessu infelici. An. 1455.

Fridericus Iohannes Ernestus Albertus Mauritius Augustus Seuerinus.
Sapiens Es Constans Archiep. Archiep. Elector. Elector.

Christianus Elector.

Iohannes Fridericus Iohannes Er- Christianus Iohannes Ge- Augustus.
Elector. nestus I. II. Elector. orgius.

Iohannes Fridericus Iohannes VVil- Iohan. Frideris Ernestus.
kus II. helmus. cus III.

Iohan. Ca. Ioh. Er- Ernestus II.

Fridericus VVilhelmus, Electro-
ratus Saxonici per decennium Ad-
ministrator, mor. 1602. d. 7. Ju-
lij, cuius filij sunt tres superstites.

1. Iohannes Philippus.
2. Fridericus.
3. Iohannes VVilhelmus.

Iohannes.
Iohann. Ernestus.
Fridericus.
Iohannes.
VVilhelmus.
Albertus.
Iohann. Fridericus.
Ernestus.

111 588 011



ULB Halle
004 967 682



3



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-40728-p0025-2

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-40728-p0026-7

DFG

stas dolendi atq;
tentis gratiam
Atq; vitinam fe
in suæ atq; omni
sine vestro, viri
Quod ut à vob
rit, scio, ubi ve
mea vacillabit.
nam. Sed quæ
nitatem infant
prudentiam do
patriæ nostræ st
interim animu
ditata, & dispe
qui missis pluri
mo, cuius celsi
nunc est condit
illius utcung^z
vulnera, tanti

Anno Christ.
1562. die
25. Apr.

Sen. Her. fur.
v. 339.
Petr. de rem.
vtr. fort. lib.
1. dial. 16.

Ortum illi ded
præstantissima
dine nobilissim
cerioris religio
culpem illos, q
titur; gloriam
quisq; virtute
inquit Seneca
seris, ab alio n
tiamus, vel re
experientiam,
scuro loco prog
dem nobilitat,

